(11


EPISTOLA
PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM UNIVERSUM

CENETENSIS

DIOECESEOS



PATAVII
EX TYPOGRAPHIA CRESCINIANA
MDCCCXLIII

MANFREDUS BELLATI

PATRICIUS FELTRIENSIS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS CENETENSIS

VENERABILIBUS FRATRIBUS, ET DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS
CLERO ET POPULO SUAE DIOECESEOS

SALUTEM ET BENEDICTIONEM

Cum indignum me prorsus putarem, quod praeclarissimi Antistitis Aloysii Zuppani in Dioecesi Feltriensi Vicaria procuratione fungerer, et in id munus, vacante sede, nomine Capituli pariter incumberem, accidit, ut benignitate plane singulari munificentissimi Imperatoris et Regis FERDINANDI I. ac GREGORII XVI. auctoritate et jussu ad Cenetensem Episcopatum evectus fuissem. Aberat a me omnino ut id quaererem vel cuperem, vel animo spectarem; idcirco quin gratularer de sublimiori gradu, ad quem erigebar, pericula gravissima magis magisque sensi, quae incurrebam. Etenim in tenui antedicto regimine considerare et introspicere potui, qualem deceat esse vitam Episcopi, *quem Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Continuato siquidem mentis ad seipsam reditu non

potui non concludere, Episcopatum esse nomen oneris plusquam honoris, laboris plusquam dignitatis, et martyrium potius ostendere quam requiem et delicias, ut explicatione perenni majores nostri docuerunt. Trepidabat igitur, et expavebat cor meum, ne ad aliarum animarum pascua praepositus, meam perderem, et sub hoc onere, angelicis etiam humeris formidando, corruerem. Novimus, ut ajebat Chrysostomus, *animi nostri vires quam sint exiguae; novimus quanta sit illius functionis moles, novimus quam ingens negotii ipsius difficultas. Fluctus enim Episcopi animum concutientes, ventis mare identidem conturbantibus, crebriores infestioresque esse solent.*

Hoc autem praemittendum vobis duxi, ut intelligeretis, me Episcopatui manum coaptasse, et jugum subiisse, ut Imperatoris ac Regis pientissimi jussa facerem, et parerem Catholicae Ecclesiae Gubernatori Summo, cui potestatem dedit Deus segregare homines *in opus ministerii, et mittere operarios in messem suam.* Sicuti enim periculose ambulare dicitur, qui sumit sibi honorem non legitime vocatus, ita in Patris reverentiam peccare videndus, qui immoderato praepeditus timore, aut retardatus pigritia, justaque excusatione destitutus, respuit gratiam, officiumque recusat.

Nunc autem per humaniter ab ipso Divi Petri Successore in alma Urbe complexus, ejusque auctus muneribus, et per Emum. et Rmum. Dominum Constantinum Patrizi S. R. E.

Cardinalem amplissimum Sacro Chrismate delinitus, corroboratus etiam per impositionem manuum ministerii hilaris et laetus, ac animo pacato, et tranquillo per hanc epistolam venio ad vos. Fassus enim tenuitatem meam, et delicta, nec non ingenii mei paupertatem, dicam laudem Deo, qui non infrequenter contemptibilia et ea quae non sunt eligit, ut omnipotentiam suam manifestet, meque suscipiens ostendere voluit, quod *Spiritus suus ubi vult spirat, et suscitare potest ex lapidibus filios Abrahae.* Testis igitur est mihi Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi, quomodo cor meum mira quadam ardeat cupiditate Ecclesiam mihi traditam adeundi, et filios meos alloqui, in Christo amplexandi, bene omnibus et prospera adprecandi, luculentaque charitatis argumenta significandi. Quibus sensibus prorsus affectus essem, etiamsi malos vos esse comperissem, et ingratos. Id enim fecit et Dominus, qui *cum essemus inimici, ipse prior dilexit nos.* Nunc autem quoniam multas mihi probationes benevolentiae et amoris obtulistis, atque adeo mihi exploratum est vos ingenii docilitate, omnimoda virtutis laude, morum probitate, pietatis ac doctrinae studio semper enituisse, mihi augurari fas est, vos etiam imposterum virtutum omnium ornatu praestituros. Accedit ut Dioecesi illi regendae praeficiar, quae Sacrorum habuit Antistites sapientia et pietate illustres, qui nullis neque curis, neque laboribus sibi parcendum duxerunt ut vos ad omnem honestatem, rectamque

morum disciplinam fingerent, mihique erit satis si Jacobum Patriarcham Venetiarum, Romana fulgentem Purpura, honoris causa nominem, qui ab omnibus in summa reverentia habetur, nec non Bernardum Antonium Squarcina ad Adriensem sedem mox translatum, qui zeli sui non interitura apud vos monumenta reliquit. Quae omnia mecum ipse reputans in eam profecto spem ingredior fore ut pastorale munus, quod primo adspectu grave nimis videbatur, levius aliquando evadat. Non dubito enim quin pastoris vestri vocem, et monita quam libentissime excipiatis, eaque diligentissime perficienda curetis.

Ego quidem veniam ad vos non jam ut Dominans in Cleris, sed ut Pastor, quinimo Pater vere amantissimus, et Deo semper juvante, quantum cura, labore, vigiliis, auctoritate, consilio eniti atque efficere potero, nihil unquam inausum, nihilque intentatum relinquam, quod ad vestram salutem, et animarum vestrarum rationes pertinere arbitrabor, paratus etiam omnia perpeti, et vitam ipsam profundere pro animabus vestris. Neque aliter possem Pastorum Principis exemplum intuens, qui eousque dilexit nos, ut cum in forma Dei esset non solum exinanivit semetipsum formam servi accipiens; sed etiam factum pro nobis maledictum, *tradidit semetipsum pro nobis oblationem Deo in odorem suavitatis.* In Christum Jesum itaque continenter respiciens, ut debeo, quid mihi unquam aut negligendum, aut non conandum pro viribus putem, ut vos enutriti magis in

dies verbis fidei crescatis in scientia Dei, et per gratiarum charismata confirmati, alacri et inoffenso pede incedatis per semitas Domini? Si quid vero infirmum forte reperiam, dabo operam, ut consolidem, si quid aegrotum ut sanem, si quid confractum ut alligem, si quid abjectum ut reducam, si quid periit ut quaeram, semper tamen quantum officii ratio sinet, in patientia, in mansuetudine, in lenitate. Neque enim vel transversum quidem unguem ab Sacrosanctae Tridentinae Synodi monitis discedendum mihi esse duco (Sess. XIII. c. 1. de reform.), ut animarum pastores ex Apostoli praescripto, *arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, et patientia, cum saepe erga corrigendos plus agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas.* Utinam qui dat mihi nunc velle, det etiam in tempore perficere, ut Pastorum Principi villicationis meae rationem aliquando exigenti respondere verissime possim: *quos dedisti mihi ne perdidi ex eis quemquam.*

Nunc autem scribendi finem facerem, si me sineret modo paternus in vos animus, qui diutius alloqui vobiscum avet; et singulis quibusque civium ordinibus peculiarem aliquam amoris et benevolentiae significationem exhibere. Et primum quidem vos alloqui par est spectatissimi Ecclesiae Cathedralis Canonici, qui et meae sollicitudinis socii, et mei laboris adjutores eritis, in quibus mihi firmissimum praesidium datum esse ad tantum onus

sustinendum confido. Quare cum gravissimum aliquod negotium pertractandum, vel consilium aliquod suscipiendum fuerit, vos consulam et vestram sententiam rogabo. Quod officium vos recte peragetis, qui summam Doctrinae praestantiam cum omnigena vitae Sanctitate conjungitis. Equidem non peritura laus erit Capitulo vestro, ex cujus gremio tres Sapientissimi Viri duobus ad hinc annis prodiere, qui ob merita eximia in Episcopatus ordinem adscripti sunt. Unus quidem qui Astensi datus est Dioecesi, alter vero qui designatus Adriensi contraria usus valetudine oneri cessit pariter, et honori. Tertius autem qui in antistitem renuntiatus patriae meae nec non Belluni viduitatem, quae nunc est, in laetitiam vertet et gaudium. Vos igitur qui remanetis munia vestra exercebitis caritatis fervore excitati, ut sitis lux illa, quae lucet coram hominibus, qua cum ipsi se illustratos senserint, laudem de tanto beneficio Patri caelesti perpetuo reddent.

At nihil non felix faustumque a vobis ominor, Pastores animarum, quorum de virtutibus fama ad aures meas praeclara fidelisque pervenit. Vos qui in sollicitudinis meae partes vocati estis, vestra studia, curas, cogitationesque omnes simul conjungite. Tamquam pro Christo legatione fungentes in omnibus Sanctitatis ipsius specimen vos praebete. Catholicae fidei praeceptis, et mysteriis imbuite commissos vestrae curae populos. Doctrinae Christianae scholas, earum frequentiam studium progressionesque

vehementer urgete. In omni patientia et labore arguite, obsecrate, increpate. Pastoralem vocem ovibus ne unquam subtrahite. *Sit sermo vester vivus et efficax non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* Detecta vobis miserorum hominum vulnera, uti misericors ille Samaritanus, fovete, ac vino, non aceto, ut ita dicam exasperate.

Plurima quidem bona mihi polliceor, certoque spero, ubi magna animi cum voluptate Clerum novi bene institutum. O me vere beatum! Enim vero Clerus hujusmodi ad omnes probitatis, pietatisque formam compositus, Christi bonus odor efficiatur, necesse est. Agite itaque mei Sacerdotes verbo et exemplo, ut habeat populus proposita in vobis, quae capiat documenta virtutis. Ita non solum mihi, Ecclesiaeque adjumento, sed et *Deo acceptabiles eritis, bonorumque operum sectatores.*

Ad vos autem nunc converto sermonem, Adolescentes Clerici, qui in Seminario valde conspicuo stadium curritis, vos estis Ecclesiae apes, germen pium, examen novellum, verbis Augustini loquar: Totus in vos incumbam. Certus sum itaque, quod ita instituemini, ne non multiplicetis gentes, sed magnificetis laetitiam. Vitae innocentiam, religionis amorem omni studio servate, humilitatem adipiscimini, ne doctrinarum, quae vobis traduntur, copia in superbiam inflemini, scientes, quod Isidorus ajebat: *Doctrinam sine vita arrogantem reddere.* Neque aliter id fieri

poterit, si moderatorum, praeceptorumque dicto audietis, eorumque monitis alacriter pareatis. Etenim probe novi, qui in vestros mores incumbunt, omnium virtutum laude esse ornatos, et scientia instructos.

Maxima vero cum animi mei voluptate accepi duo extare in Dioecesi religiosorum Patrum instituta, unum Sancti Francisci de Observantia, Cappuccinorum alterum: Regulares homines, qui in Ecclesia Christi auxiliarium copiarum locum tenent. Vos profecto, relictis omnibus, sequuti estis Deum, atque ab hominum convivio sejuncti, veluti Moyses in altum ascendistis, ut Divino colloquio afflati, aliis usui, et emolumento adsitis, qui inter aerumnas jactati ad beatitatis portum aegerrime tendunt. Cum igitur *bonum sit habitare fratres in unum*, fide ac mente praestare satagite, ut vita vestra aliorum sit eruditio, et assidua salutis praedicatio.

Honoris causa nunc vos appello, Amplissimi Magistratus, legumque Custodes et vindices qui summa cum laude in mea Dioecesi, Regis nomine, quae temporalia sunt gubernatis. Nos dexteras jungamus invicem. Vos curabitis ut pauperes a potente non venentur, viduae et pupilli opem et tutelam inveniant, morum licentia comprimatur, vitiorum seges arescat, publica securitas adseratur. Vos autem Optimates, quos generis nobilitas, vel opum copia una cum omnium virtutum laude, ac pietatis praesertim studio conjuncta vel maxime exornat, memoranda Christi verba

recolite: qui fratres non omni caritatis officio complectitur eum sibi discipulum non adoptat: *in hoc cognoscent quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

Sed jam ad vos omnes patet os meum, dilectissimi in Christo filii, cujusque ordinis, aetatis, sexus, et conditionis. Et primum quidem vos hortor, immo oro et obsecro, ut fidem, sine qua impossibile est placere Deo, vel diligentissime custodiendam curetis, quam singulari Dei beneficio a majoribus vestris accepistis. Et quoniam fides sine operibus mortua est, satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Sanctissima Dei mandata, et Ecclesiae praecepta naviter colite; sanctificate sabbatha Domini, *pavete ad sanctuarium ejus, et quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate, haec agite. Mortificate membra vestra, fornicationem, immunditiam, concupiscentiam malam: inimicitiae vero, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, homicidia, ebrietates, commessationes, scurrilitas, blasphemia, turpiloquium, nec nominentur in vobis, sed induite sicut electi Dei viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet quaerelam. Super omnia autem haec caritatem habete, quae patiens est et*

benigna, non agit perperam, non inflatur, non aemulatur.

Sed ut omnia haec assequi et simul perficere possitis, oportet vos semper orare, quo divina impetretis auxilia, nam qui petit accipit, qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur. Deus quidem facilius nostris annuet votis, quoties deprecatricem apud ipsum adhibeamus Deiparam Virginem, quae dulcissima omnium nostrum mater, et tutela, et cujus numini cathedrale templum dicatum est. Deprecaminor etiam illustrem Patronum Sanctum Titianum Episcopum, nec non Caelites omnes, illos praesertim, quorum exuvias vos colitis, et religiose asservatis. Dum vero preces ad Deum funditis nunquam rogare desinite pro Sapientissimo Hierarcha GREGORIO XVI, quem manus Dei altissimi ad Ecclesiae suae regimen et praesidium hisce temporum calamitatibus extulerat, tum pro augustissimo Imperatore ac Rege nostro FERDINANDO I, sceptri non minus quam paternarum virtutum haerede, qui Principum omnium praeclarissimum est exemplar et decus. Rogate etiam ut sospitet Deus Proregem nostrum RAINERIUM, Principem tot virtutibus ornatum, lectissimamque ejus Conjugem, ac universam Austriacorum Principum familiam, quorum mitissimum ingenium, pietatem, summamque prudentiam omnes merito admirantur. Sed etiam pro me orate ab Deo impetrantes, ut manum suam mihi porrigat, vires adjiciat, clemens aspiciat, ministerii mei tempora aedificationi

vestrae non inutilem efficiat, et possim verbo, et exemplo prodesse, et ad vitam vobiscum pervenire sempiternam. Haec habui Fratres, et Filii charissimi quae pro re et tempore ad vos nunc scriberem. Interea vobis omnibus paternam benedictionem impertior; et Deum ex animo deprecor, ut gratia Domini nostri Jesu Christi, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

Datum Romae extra Portam Flaminiam die XIV. Maji, anno MDCCCXLIII, ipsa consecrationis die.

IMPRIMATUR

Fr. Angelus V. Modena Or. P. S. P. Ap. Mag. Socius

IMPRIMATUR

Joseph Canali Archiep. Colossens. Vicesgerens